

9/80. 1769, 17.

S P E C I M E N
CONTINENS
C A P V T I V R I S C O N T R O V E R S I
D E
D I F F E R E N T I A C A V T I O N I S
R E M P V P I L L I S A L V A M F O R E
E X I V R E R O M A N O E T F O R O H O D I E R N O
Q V O D
I L L V S T R I S I C T O R V M O R D I N I S G R A T I A
P R A E S I D E
D. C H R I S T I A N O H E N R. B R E V N I N G
P R O F E S S O R. P V B L I C. O R D I N. I V R. N A T. E T G E N T.
E T S O C I E T A T. L I T E R. D V I S B V R G.
S O C I O
I N A V D I T O R I O P E T R I N O
D I E II. O C T. A N N O C I C I O C C L X V I I I.
D E F E N D E T
I O A N N E S F R I D E R I C V S S A C H S E
H A R T E N S T E I N. S C H O E M B V R G.

L I P S I A E
L I T E R I S R V M P F I I S.



DE
DIFFERENTIA CAVTIONIS
REM PUPILLI SALVAM FORE
EX IVRE ROMANO ET FORO
HODIERNO.



§. I.

Prima illa atque antiquissima Iura Populi Romani non quidem pupilos indefensos reliquerunt, at tantam eorum curam haud habuere, quantam subsequens aetas constitutis legibus habuit.

Decemviri suis Legibus primum parenti ius dederunt, impuberibus suis testamento tutorem ordinandi tantique habuere parentis consilium, ut illud optimum haberent,

(2)

neque



neque pupillorum bonis prospexerunt, sed ex patris consilio satis prospectum esse arbitrabantur. At in tantum, si quoad tutelam intestatus moreretur pater, pupillorum tutelam leges XII. Tabularum agnatis commiserunt, neque tamen villam rationem habuisse videntur securitatis bonorum pupillarium, forsitan quod in fide bona agnatorum nihil esse metuendum videbatur, forsitan ex ea ratione, ex qua HEINECCIVS in *Antiquit. Iur. Civil. L. I. Tit. XII.* §. 5. arbitrabatur agnatos inter Spartanos ad tutelam ex Lycurgi legibus fuisse legitimam vocatos, atque admisfos. Quare romanorum tutelam legitimam ex iisdem legibus Spartanorum deducit: an reesse, non decidam; quid enim, si ante leges Decemviraes et adeo sub regibus non turbato ordine mortalitatis pater moreretur impubere reliquo filio, an credamus, hunc impuberem plane indefensum reliquum atque a republica, quae tamen a Romuli aestate per polypaediam multiplicandi ciuium numeri studiosa fuerat, penitus neglectum. Vix id probabile. Sed suum cuique iudicium!

§. II.

Euenit tandem forsitan, cum antiqua illa fides amplius non obseruaretur, ut demum Praetor, cui ex Lege Atilia tutorem dandi ius datum, pupillis prospiceret, atque editio cautionem rem pupilli saluam fore introduceret. Sed non in omni specie tutelae, in certis tantum casibus hanc satisfactionem Praetor statuit. Cum enim vel tutor testa-



5

testamento, vel lege, vel a magistratu daretur, videamus
qui satisdederint.

§. III.

Certum est, eum, qui testamento tutor datus fuerat
ob patris consilium cauere haud debuisse. Neque tamen
semper id obseruabatur, sed si pater forsitan plures tutores
in testamento dederat, vniusque reliquis in administranda
tutela praeferriri volebat, ad satisdandum tunc tenebatur,
quippe reliquorum, ad quos periculum rerum pupilla-
rium simul pertinebat, maxime intererat, rem pupilli
saluam fore, ne ipsi postea conueniantur, si administrans,
qui damnum dederat, desisset esse soliendo, quod late
docuit IVSTINIANVS §. I. de satisdat. tutor. Neque
vero haec cautio pupillo constituebatur, sed contutoribus.
Quod ad legitimos tutores attinet, affirmat VLPIA-
NVS in L. 5. §. 1. ff. de legit. tutorib. hos cogi satisdare. Tan-
dem de datiis. Vel enim a magistratu maiore, vtpote
Practore, vel Praefide dabantur, et quidem cum inquisitio-
ne, hi satisdare non cogebantur, vel dabantur a Decem-
viris aliquique minoribus magistratibus, et ab his dati cum
sine inquisitione darentur, semper satisdare delerant
rem pupilli saluam fore, neque nisi pupillis satisdatione
prospectum, admittendi erant, qui tutelam administra-
rent, quippe periculum tunc in subsidium duumuirorum
erat.

X 3

§. IV.



§. IV.

Iam vero constat, cum satisdatio exigatur, si vel ipsi pupillo, vel contutoribus cauendum, Romanos nullam aliam cautionem idoneam habuisse, quam quae fideiussoribus fiebat. Putabant enim, cum damnum, quod inferri potest, determinari haud posset, et magis personae praefstaretur cautio, pignora admitti non posse, sed plus cautionis in persona esse. Sicuti vero omnis fideiussio interrogatione solenni atque congrua responsione peragebatur, qua solennitate a constituto differebat; illa solennis interrogatio vel a *confideiussoribus* fiebat, si hi satisdationem exigerent, vel a *pupillo*, si infantia maior esset, ut fari, h. e. solennia verba illa eloqui posset, vel si adhuc infans, vel a *seruo pupilli proprio*, per quem obligationem pupillus tanquam serui dominus acquirebat, vel si proprium non haberet, a *seruo publico*. At dubitandum videtur, an per seruum publicum recte illa interrogatio fieri potuerit, ut inde obligationem ex congrua responsione obtineat pupillus, cum iura adferant, alteri per alterum obligationem acquiri non posse. v. §. 5. *J. de inuile stipulat.* sed sicut disserite in L. 2. ff. *Rem pupilli VLPIANVS* scribit: *dicemus seruum publicum apud Praetorem stipulari debere;* ita cum reipublicae maxime quoque intersit, ut pupillis sua conseruent bona, per seruos publicos recte haec stipulatio fieri atque pupillo prospici poterat. Sed haec breuiter ex Romano iure.

§. V.

§. V.

Jam haec adhuc cum fori nostri rationibus compara-
bimus. Habemus quidem, ut vulgo adfirmant, praeter
tutorem *pæciliū*, quem germanicum ius adfert, testamen-
tarios, legitimos atque datiuos tutores, quamquam mal-
lem omnes, quos habemus, ad datiuos referre, atque po-
tius, si in testamento datis sit, tanquam nominatum tantum
habere. Constat enim, nullum ad tutoris officium admit-
ti posse, nisi a magistratu confirmatus sit, inquisitione prius
instituta, an videlicet idoneus sit cauendo. Consequimur
inde, quam ius Romanum in diuersis tutoribus ratione cau-
tionis statuerat differentiam, a nobis haud obseruari, sed
omnes tutores idoneam cautionem rem pupilli saluam fo-
re praestare debere. Neque sane mirandum; Cum enim
ex principis ciuium suorum summo tute indulgentia
cuius magistratui haec commissa sit cura, ut eius vice tuea-
tur atque curet impuberes adhuc ciues, ipsi etiam magi-
stratui exinde ius competit, cauendi, ne per hos, quos tu-
tores pupillis confirmauerat, iis damnum inferatur. Sibi
ergomet ipsi prospicit magistratus, si ab omni tute rem
pupilli saluam fore cautionem exigit, neque eum, quem
ad cauendum inidoneum deprehendit, ad tutelam admit-
tat, aliumque confirmet.

§. VI.

Sed iam ipsa cautio examinanda. Ignoramus enim, quam
romani habebant, fideiussionem, quamque Praxis *fideiuf-
sionem* vocat, cum stipulatio illa in usu esse desierit, magis
confi-



constitutum est. Consequimur: Romanam illam satisdationem moribus nostris non comprobari. Hinc maiorem securitatem patria quaerit in pignoribus et maxime si tutor immobilia possideat, per quae cauere possit. Quanquam enim et apud Romanos tacitum pignoris ius pupillo competierit in bonis tutoris, quod et confirmat IUSTINIANVS in L. vlt. C. de admin. tutor. tamen eo nostrates vix contenti in confirmatione tutoris plerumque expressum constituunt pupillo pignus, quod in tutorio simul exprimitur, unter Verpfändung seines sämmtlichen Vermögens. Er gone plane apud nos fideiussores improbentur? Hoc sane adserere non ausim. Quodsi enim tutor dandus, qui immobilibus et bonis cauere idonee satis non possit, neque magis idoneus adsit, dubium non est, fideiussores sic di eos admittendos esse, sed quam maxime a romanis diuersos. Hi enim sola stipulatione se se obligabant, rem pupilli saluam fore, seu se fore obligatos, si tutor pupillo damnum dederit. Nostri contra vix promittendo se tantum obligant, sed plerumque bonis suis reddunt pupillum securum, suisque immobilibus cauent loco tutoris. Hinc est, vt quae dicunt Pfand-Scheine iudici offerant, si protore fideiubeant. Semper enim et hic plus cautionis in re praecipue immobili est, quam in persona fideiussoris.

T A N T V M.

ULB Halle

003 594 440

3



Sb



B.I.G.

Farbkarte #13



1769, 17.

S P E C I M E N

C O N T I N E N S.

C A P V T I V R I S C O N T R O V E R S I
D E
D I F F E R E N T I A C A V T I O N I S
R E M P V P I L L I S A L V A M F O R E
E X I V R E R O M A N O E T F O R O H O D I E R N O

Q V O D

I L L V S T R I S I C T O R V M O R D I N I S G R A T I A

P R A E S I D E

D. C H R I S T I A N O H E N R. B R E V N I N G
P R O F E S S O R. P V B L I C. O R D I N. I V R. N A T. E T G E N T.
E T S O C I E T A T. L I T E R. D V I S B V R G.
S O C I O

I N A V D I T O R I O P E T R I N O

D I E I I. O C T. A N N O C I C I O C C L X V I I I.

D E F E N D E T

I O A N N E S F R I D E R I C V S S A C H S E
H A R T E N S T E I N. S C H O E M B V R G.

L I P S I A E

L I T E R I S R V M P F I I S.